

IX.

Aer vero pro diversa sua indole hujus morbi moderatur genium, sive sit siccus & calidus, sive frigidus atque humidus. Calidus enim & siccus humores corporis nostri nimium exagitat, pulmonesque exsiccat, serosas & dulces sanguinis partes dissipando, cum contra acres & salinæ irritantes in corpore remaneant. Aer vero frigidus & humidus, contentando & coagulando atque pressura sua transpirationem impedit, & lympham excrementitiam in corpore cumulat, quæ ad pulmones lege circulationis delata, humidam tussim solet excitare.

X.

Quomodo vero septi transversi compressio, ab utero & tumoribus inflammatoriis viscerum, item vermes ac stomachus labefactatus, tussim efficiant, difficilius explicari posse videtur. Ratio tamen hujus rei sine dubio in consensu nervorum est posita, quia lymphæ Spirituosa in uno nervo p. n. exagitata fortius, eam quoque in aliis, & imprimis proxime adjacentibus & connexis, commovet. In his itaque affectibus consensus pari vago & intercostalibus commode tribuitur. Octavum enim par e cerebro egressum cum nervis accessorius conjungitur, & cum ramo duriore septimi paris